



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Thomæ A Kempis Canonici Regvlaris Ord. S. Avgvstini De Imitatione Christi Libri Qvatvor

Thomas <von Kempen>

Antverpiæ, 1617

Cap. XLVI. De confidentia in Deo habenda, quando insurgunt verborum
iacula.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45760](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45760)

De confidentia in Deo habenda, quando insurgunt verborum iacula.

Ps. 36. **F**ILI, sta firmiter, & spera in me. Quid enim sunt verba, nisi verba? Per aërem volant, sed lapidem non lædunt. Si reus es, cogita quòd libenter emendare te velis. Si nihil tibi conscius es, pensa quòd velis libenter pro Deo hoc sustinere. Parum factis est, vt vel verba interdum sustineas, qui necdum fortia verbera tolerare vales. Et quare tam parua tibi ad cor transeunt, nisi quia adhuc carnalis es, & homines magis quàm oportet attendis? Nam quia despici metuis, reprehendi pro excessibus non vis, & excusationum vmbracula quæris.

2 Sed inspicere te meliùs, & agnosces, quia viuìt adhuc in te mūdus, & vanus amor placēdi hominibus. Cùm enim bassari refugis, & confundi pro defectibus, constat vtique, quòd nec verus humilis sis, nec verè mundo mortuus, nec mundus tibi crucifixus.

Sed

Sed audi verbum meum, & non curabis decem millia verba hominum. Ecce, si cuncta contra te dicerentur, quæ fingi malitiosissimè possent: quid tibi nocerent, si omnino transire permitteres, nec plusquam festucam perpenderes? Numquid vel vnum capillum tibi extrahere possent?

*Mat 10
& Lucæ
11.*

3 Sed qui cor intus non habet, nec Deum præ oculis, faciliter verbo mouetur vituperationis. Qui autem in me confidit, nec proprio iudicio stare appetit, absque humano terrore erit. Ego enim sum iudex, & cognitor omnium secretorum: ego scio, qualiter res acta est, ego iniuriantem noui & sustinentem. A me exiit verbum istud, me permittente hoc accidit, vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes. Ego reum & innocentem iudicabo, sed occulto iudicio vtrumque antè probare volui.

Psal. 7.

Lucæ 2.

4 Testimonium hominum sæpè fallit: meum iudicium verum est, stabit, & non subuertetur. Latet plerumque, & paucis ad singula patet: numquam tamen errat, nec errare potest, etiamsi oculis insipientium non

rectum videatur. Ad me ergo cur-
rendum est in omni iudicio, nec pro-
Pro. 12 prio innitendum arbitrio. Iustus e-
nim non conturbabitur, quidquid
à Deo ei acciderit. Etiam si iniuste ali-
quid contra eum prolatum fuerit,
non multum curabit. Sed nec vanè
exultabit, si per alios rationabili-
Psal 7. ter excusetur. Pensat namque, quia
& A- ego sum scrutans corda & renes, qui
pocal. 2. non iudico secundum faciem & hu-
manam apparentiam. Nam sæpè in
oculis meis reperitur culpabile, quod
hominum iudicio creditur lauda-
bile.

5 Domine Deus, iudex iuste, for-
tis & patiens, qui hominum nosti
fragilitatem & prauitatem, esto ro-
bur meum, & tota fiducia mea, non
enim mihi sufficit conscientia mea.
Tu nosti, quod ego non noui: & ideò
in omni reprehensione humiliare me
debui, & mansuetè sustinere. Ignosce
quoque mihi propitius, quoties sic
non egi, & dona iterum gratiam am-
plioris sufferentiæ. Melior est enim
mihi tua copiosa misericordia, ad
consequutionem indulgentiæ: quàm
mea

mea opinata iustitia, pro defensione
 latentis conscientiae. Et si nihil mihi 1 Cor. 4
 conscius sum, tamen in hoc iustifica-
 re me non possum: quia remota mi-
 sericordia tua, non iustificabitur in
 conspectu tuo omnis viuens. Ps. 142

CAP. XLVII.

*Quod omnia grauia, pro aeterna
 vita sunt toleranda.*

FILI, non te frangant labores,
 quos assumpsisti propter me, nec
 tribulationes te deiiciant vsquequa-
 que; sed mea promissio, in omni euen-
 tu te roboret & consoletur. Ego suffi-
 ciens sum, ad reddendum supra om-
 nem modum & mensuram. Non diu
 hic laborabis, nec semper grauabe-
 ris doloribus. Expecta paulisper, &
 videbis celerem finem malorum. Ve-
 niet vna hora, quando cessabit omnis
 labor & tumultus. Modicum est &
 breue, omne quod transit cum tem-
 pore.

2 Age, quod agis: fideliter labo- M. 1. 20
 ra in vinea mea, ego ero merces tua.

Scri-